ΕΥΦΗΜΙΑ

VOTA
ET
SOTERIA

CAROLO PRINCIPI
CAROLI AUG. F.
SACRATA.

ET

ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ,

Jam Natæ PRINC.
MARIÆ.

Per M. GULIELMI,
In Mus. Doctu.

CARO
LUS

MA
RI
A

LONDINI,
Typis M. FLESHER.
M. DC. XXXI.

Illustrissimi Principis CAROLI SOTERIA, *à D.M.* GULIELMI *D.M. concepta, ut rata Deus esse velit*—

DUm canis Augusti *Soteria Principis* alma
Aonii mystes Pæoniiq; Dei:
Quis non augurio lætus sperare Salutem
Ausus conceptam, linguâ animoq; favet?
Me certè emeritum jam olim, effœtúmq; Camœnis
Evocat ad sacras tam pia Musa preces.
Vivat CAROLIDES, vivat spes chara parentum,
Nunc spes, mox patriæ gloria summa suæ.
BORBONIDAS, bello superet, sed pace STUARTOS:
Prætextam laurum pacis oliva premat.
Vincat avos studiis, æquet pietate parentes:
Hinc atq; hinc fundat *Lilia* mista *Rosis*.
Sed variet geminos, contrà quàm *Flora*, colores;
Murice distinguat *Lilia*, lacte *Rosas*.
Quásq; oras quondam, Neptuni aut impete vasto,
Aut æstu Martis, dissiluisse ferunt:
Has utrisq; sacri nativum pignus amoris
Jungat, & æternæ foedere pacis alat.
Imperii firmet patrii anchora certa carinam:
Anchora, non una & sola futura tamen.
Altera nam cœlo proles demittitur alto;
Augusti partus atq; iteratur honor.
Dicite Iô Pæan, & Iô bis dicite Pæan,
Ter, quater, æternùm hic perpetuetur honor.
Ut nostra hæc Delos, CAROLI MARIÆq; revincta,
Fœtu, spernat aquas Æoliásq; minas.
Nostrum ut Latoïdæ salvi, Pythone perempto,
Luce suâ lustrent sidera clara polum.

——*Vovet* THO. FARNABIUS.

VOTA CAROLO PRINC. Sacrata.

PRÆFATIO.

VNde repentino, tantus furor Entheus, œstro
Inspirat desueta pati mea pectora numen
Castaliú? Cyrrhâ procul & Permessidos amne
Jamdudum vixi: teneras sibi vendicat artes.
Sancta Hygieïa meas; merui sub Pæonis armis,
Et jam Asclepiades naturæ arcana revolvo.
Non vacat in solitis celebrare Helicona choreis.
Tum cecini cum blanda meos Amaryllis amores
Aspexit; Clariæ non fastidita Camænæ
Carmina tum cecini: squallet nunc marcida laurus,
Ex quo despexit nostros Amaryllis amores.
Quo me Phœbe rapis? dimitte Machaona. Præses
Ipse tuus sum Phæbus ait; qui præsidet herbis
Præsidet Aoniis numeris intonsus Apollo,
Artis Apollineæ mystas, decet esse poëtas.
Sic vatum pater, & pater medentum
Fatus, me ad laticis sui sorores
Portat, sic Medicum facit poëtam.
Me viso Dea fontis inde clamat:
CARLOq; & MARIÆ lyram sonoram
Pange, & *Pignoribus* thori *Iugalis*
Nam Pimpleïda *Cæsar* ipse laudat
Atq; ornat riguam: Deoq; nostro
Est major Clario, Choriq; Præses

Et

Et quod potius omnibus trophæis
Est almus *Pater* ipse *Prolis* almæ.
Tum *Matrem* canitó; Deam, MARIAM;
Nympha est ac Dea, blandulùm polita:
Quâ non blandidior Venustas ipsa,
Quâ non gratior est Châris vel ipsa.
Quæ nostris *Rosulis* dedit nitores
Quæ nostro latici dedit lepores.
Hanc ornant Veneres Cupidinesq;:
Et quotquot Veneres Cupidinesq;
Ornant pulchrior est. Secunda nulli
Forma; & nec Paridem timet, nec Idam.
Hanc, fontes, nemus hoc, Deam sonabunt,
Hanc Daphnè, & Dryades, Chloris, Napææ
Pan Faunusq;, Deam, Deam sonabunt.
Hos tu carmine nobili sonato:
Plectro CAROLIDEN, lyrâq; pange,
Nympharumq; rosas habebis hospes,
In umbris ego fontium virentûm
Natus *Musa* fui: superbienti
Vix notus domui, domusve regi.
Sylvis aptior est avena nostra:
In flabit calamos rudis Menalcas
Ad ripam *Thamesis*, cycnisq; ripæ;
Nam nostras Amaryllis horret odas.
Cum cantus Amaryllidi placebunt
Nostri, tum DOMINOS canam Deasq;
Et notus recolam sonantiori
Tunc plectro: *Arma, Virum, Deumq;* nostrû.

Si (*Cæsar*) tenuem non dedignabere Musam,
Accinet Aoniis fistula nostra lyris.


F. DESIDERATISSIMO.
COMUNI LÆTITIÆ.

AUGURIUM HISPANICUM EX ARCU ANTUERPIENSI.

Mucho mas y mas aliende
PRINCIPE *Señor de* BRITAÑA,
Hasta ser Monarca solo.
Pues Tu potentia esta maña
Que sin termino s'estiende
Al' uno, y al otro polo.

INDUBITATUM ESTO AUGURIUM, PRINCEPS CAROLE, EO TIBI, CUM TUIS VIRTUTIBUS PERVENIENDUM ESSE, QUO *Non* SIT *Ulterius*.

SALVE PRINCEPS CAROLE, INTER TOT CAROLOS, VEL REBUS MAGNIFICE GESTIS, VEL PIETATE ILLUSTREIS, IPSE, ET PATERNÆ MATERNÆQ; CLARITATIS GLORIA, ET BEATÆ INDOLIS PRÆSAGIO, SUMMAQ; DE TE OMNIUM EXPECTATIONE LONGE PRÆSTANTISSIME.




AMORIBVS ET GRATIIS,

Tenellulis PRINCIPIBUS
PRINCIPIBUS *Infantibus*.

IMPERII COLVMNVLIS.

Φῦσαι τυράννους παῖδας
ἔρυμα δώμασι. Eur.


FIRMAMENTIS REGNI.



BSIDIIS AULÆ.

Adminiculis Augusti.

INC pluribus MVNIMENTIS insistit REX CAR.



AD SERENISSIMVM ET AVGVSTISSIMVM REGEM CAROLVM.

GRatulor ipſe tuo PATER Auguſtiſſime NATO,
Ante tuas aras vota preceſq; ferens.
Accipe, parva licet ſit, *Cæſar*, thuris acerra:
Grata tamen Divis, vel mola ſalſa, fuit.
Per *Te*, perq; *Tuum*, non diſplicuiſſe meretur
Auſus per PUERUM CARLE rogare, tuum.
Quo vultu MARIAM, quâ ſpectas fronte tenellum
CAROLIDEM, hâc noſtrum volve ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ.

AD EVNDEM FELICISSIMVM OB NOVAM PROLEM.

DUm ſceptum firmas iteratâ prole, *Britanne*
Cæſar; tu PATRIÆ ritè vocêre PATER
Ante tuos thalamos, ſic ludat turba novella
Et collus ores CAROLE FILIOLI:
Atq; ſemel CONIUX ſis Regum Maxime CARLE
Sæpè PATER. Pro TE tam pia vota litent.



A LA SERENISIME ROYNE de la Grande Bretaigne.

ODE

MADAME,

Ie rendrois *Ta* gloire eternelle
Par la loüange *Paternelle*,
Mais les Dieux de nostre Province,
*T'*honorent, en *Ton Fils*, le *Prince*.
Car *Tu Madame* es celle, à qui je doy
Mon petit *Prince*, mes pavres vers, & moy.
Par *Toy* les vermeilletes *Roses*
Des *Anglois*, à l'Aube decloses
Croistront: car la *Fleur Francoise*
Produira la *Fleur Angloise*.
Et le petit CHARLES, *Ton* Royal Enfant
Desja se void de ces *Fleurs* triumphant.
Le Roy, Grand CHARLES, *T'*environne
De ses graces: *Te* Coronne
De ces *Fleurs*, que la Paphienne
Fait Fleurir en sa gardienne.
Et l'Arbre jeune CHARLES, qui *T'a* produit
Gros sera maintes fois d'un autre fruit.
Venus, qui cognoist *Vos* merites;
Par les mains de ses trois Carites
Fait meurir l'une, & l'autre enfance
Pour *l'Angleterre*, & pour la *France*.
Et je diray au temple de Memoire
De *Ton* heureux *Acouchement* la gloire.

Reçoy, *Madame*, ce que ma Lyre accorde
A *Ton* honneur, sur sa meilleure corde.

Les

Les sœurs Parnassiennes
Mes Muses Deliennes :
L'or ne demandent pas
Un bon œil seulement,
Est leur contentement ;
Et leur plus grand repas.

AV TRES-ILLVSTRE PRINCE CHARLES.

C'Est à *Toy* que je sonne,
C'est à *Toy* que je donne,
Les paures accords de ma Lyre
Sur *Ton* grand nom
Seul prend le renom
De tout ce que j'ay ozè dire.
Nostre CHARLES à acquis
Nostre CHARLES à conquis
Par sa Naissance prospere
Les cœurs des *Anglois*
Les vœus des *Francois*
En ressemblant son *Pere*.
Seul né comme je croy
Pour estre Fils d'un tel *Roy* ;
Ainsi la *France Te* chante
D'un *Roy* tel, que le Soleil
N'a point veu son pareil,
Ainsi la Cour *Te* vante.
Non sur ceux, dont *Tu* herites
Mais sur *Tes* propres merites,
A *Toy* un arc je dresseray
Sur deux colonnes Doriques
Pour *Toy* la gloire de mes cantiques
Et alors je triumpheray.

IL RITRATTO DI CARLO,

All' Eccellenza dell' Illmo Signor, Ill Signor
Conte d' Arundel e Surrie, Grand
Marescial d'Inghilterra.

O con le Gratie nato, e con gli Amori;
Carlo, *il nostro* Giglio,
Iride della terra,
Mai denota guerra;
Con serenato ciglio
Il ciel Inghlese serena, e co'i splendori.
Carlo *la* Rosa, *nostro fiore*
Alletta ogni core.
Per Te *ritrar tolse quel novo Apelle,*
Di nova maraviglia,
Dala Rosa, *e dal* Giglio
E'l bianco, e'l vermiglio.
Cosi al Padre *somiglia,*
E dala Madre *ha le fatezze belle:*
L'Inghilterra *e la* Francia
Ha nella Fiorita *guancia.*
Pittor, del suo volto l'attrat tivo sguardo
Ringiovenisce l'anno:
Alla faccia misteriosa
Vengon corre Giglio, e Rosa,
L'api, e poi sen' vanno.
Dona'l rittatto, Pittor, al gran Hoardo
E'l tempo mai non lo farà mortale
Hoardo *solo è degno d'opra tale.*

Colui gentile alle Pitture, e i marmi;
In grado accetterà i nostri Carmi.

IDEA VOTI NATALITII, AB Eodem Illmo. COMITE Suscepti Et Eidem, D. D.

SCAZON.

Quaterna fulcra mascula, & *Simul*, cernit
Senior HOARDUS, jam fælix *Avus*; junctim
Avus Paterq;. *Binis* CAROLUS gaudet.
Hinc plura *Regi* voto nuncupat fausto,
Avum & *Patrem* esse CAROLUM *Simul* vovet:
Numerosiorem & optat *Principi* prolem.
Votiq; compos sit, qui sic beat *Regem*.

AD AMPLIS. ET REVERENDISS. GULIELMUM ANTISTITEM LONDINENSEM.

Ad *Pauli*, grates soluit *Rex*, *Principe* nato:
Dum *Tu* sacra facis, fundit & *Ille* preces.
Tnnc, *Vterus* MARIÆ *Crescat*, tua *Vota* fuère:
Et *Patris* pietas fulcra secunda dedit.
Privatâ pietate DEUM, tunc ipse precatus
Tecum; nunc ad *Te* publica *Vota* tuli.
Publica *Vota* litant nunquam sine Flamine, reddit
Ille, ratas justâ relligione preces.
Propitios sensere Deos per thura priores;
Sed per *Sacrificam* thura dedere manum.
Farrea liba fero, cultusq; imitatus avitos.
Tu Sacer Antistes, fer mea *Vota* Iovi.

ANACREONTIUM.

ΤΟ ΡΟΔΟΝ τὸ τῆς Κυθήρης,
Χαρίτων ΡΟΔΟΝ, θεῶν τε
Μέλπομαι, φυτόν τε μουσῶν.
Βασίλισσα νῦν προκύπτει:
Καρποῖς τε γαῖα προκύπτει.
Ἔτεκεν κυδρὴ ΜΑΡΙΑ,
Ἄγγλων μέλημα, Γάλλων
Μελέδημα. Στεφανίσκοις
Ἐγὼ καλοῖς κάρηνα
Καταστέφων χορεύσω.
Νῦν ἐν ῥόδοισι, παίξει
Ἔρως, πίνων τὸν οἶνον.
Ἔρωτα, καὶ Λυαῖον
Καὶ χάριτας γελώσας
Ἐγὼ παῖσιν διδάσκω
Μετὰ ΚΑΡΛΟΥ Δίος γόνυ.
Δι' ὃν τέρπομαι, γαλήνη
Δι' ὃν ἡ καλὴ ἐτέχθη
Βίοτος Ἀγγλοῖς: γεώργων
Δι' ὃν εὐνάζεται νᾶμα.
Δι' ὃν ὁ στέφεται Βάκχος.
Ἄγε παῖ κύπελλον οἴνου
Φέρε μοι, πρόπινε παισίν.
Πίνων θέλω χορεύειν
Ὑπὸ βαρβίτῳ λυρίζων.
Ἄνακτα δεῖ τὸν ἁβρὸν
Διδύμοις ἀεῖσαι αὐλοῖς.
Βρεττανοὶ πίωμεν οἶνον,
Ἀναμέλψομεν δὲ παῖδα
ΚΑΡΛΟΝ, θεοῖς ὅμοιον.

Ευφημια

CAROLO PRINCIPI, D. D.

PRÆFATIO.

NOn laticesego Phœbe tuos, novus advena gusto.
Orgia Pieridum colui, Clariosq; recessus,
Phœmonoë tenerũ cum me formârat alumnũ.
Nec male grata fuit mea fistula, teste Lycori:
Pauper avena licet lallantis fistula vatis,
Non tamen erubuit tenui modulamine carmen
Compositum, mihi quod dictaverat *Isis* ab amne:
Oxonidum nymphas inter, prælatior *Isis*
Omnibus; & meritò *Thamisiq;* acceptior ullis.
Tum cecini CHARUELLE tuis vocalibus undis,
Salvus ab Hesperiis cum noster CAROLUS oris
Nos, littusq; suum felicitèr appulit; undâ,
Prosperiore *Illum*, quam quæ exportaverat unda.
Atque tui, nostras lacrymas sensere IACOBE
Privatâ pietate, rogi: Tum sospite *Nato*
Auspiciis votisq; piis diadema sequutus
Regnantem colui CAROLUM: sacrosque *Hymenæos*.
Iam *Partum* canimus, favete linguis,
Augustum MARIÆ, sacramq; prolem.
Adeste ô Charites Cupidinesq;
Huc fer candidulum pedem Dione:
Eiâ macte tuis Cupido tædis.
Votis omnibusque prosequamur
Augustam MARIÆ, sacramq; prolem.
Hunc *Partum* canimus: Favete linguis.

Ευφημια

ΕΥΦΗΜΙΑ
CAROLO PRINNCIPI SACRATA.

PRogeniem faustam; successurumq; *Britannis*
Caroliden, Divis cano. Non Augustior *Infans*
Sensit adorantes populos. Præsentior æther,
Affulsit nunquam cunis Regalibus: ipsâ
Naturâ mirante jubar, mirante Triones
Arctoos, nostrumq; polum. Præsaga nitoris
Stella tui; medio risit, properantibus astris,
Emicuitq; die. Mirum! Sed fortè JACOBUS
Divus Avus, jam stella, tuo jactantior ortu
Effulsit, *Parvum* cupidus lustrare *Nepotem*.
Imperii lux illa fuit: gremioq; MARIÆ
Visit adorandum, flammâ propiore, STUARTUM.
Anglis hæ dantur quæ produxere Calendæ
Infantem, qui oriens famulantia sidera sensit.
Ascanius tali fulsit fataliter igne
Atq; potestatis magnæ fuit argumentum.
Macte tuis regnis CAROLE, & permitte trophæa:
Macte tuis *Pueris* CAROLE, & permitte triumphos
Amphitheatrales. In publica gaudia peccat,
Qui agnoscit, plausus tales, spectasse priores.
Sic nec Amyclæâ, naves plausere, receptâ
Uxore, Iliacæ; minus & Briseïs Achillem,
Mulsit; nec reducem, Minoïs, Thesea vidit
Tali lœtitiâ. Non sic aspexit Orestem
Electra; aut victor Phrygios Agamemnon inermes.
CAROLUS ipse minus *Rex* exultavit, ab oris
Hesperiis, saluus dum soluit vela; receptâ
Vel, *Te*, *Borbonidas* inter, lectissima Nympha

Nym-

Nymphas: tunc solitò licet altius ora levavit.
Nempe fuit pretium *Reditus*, *Lectiq; Ingalis*
Tunc genuisse.
Cedant Cæsarii partus: felicior Arno
Teq; pater Tyberine, cluet felicior alma
Cæsaris unda mei. Tantoq; insignis alumno
Iam senior *Thamesis*, pontem indignatus, ab ipso
Frænatur *Puero* melius. Placidissimus, amnes
Angligenas inter, *Thamesis* se fidit habenis
Infantis; magis inde fluens, & notior orbi est.
Atq; urbs jam *Bruti*, multùm felicior Idâ:
Dictæusque puer gestit minor ire *Britanno*
Nostro. Vagitus, nam Creta sagacior, ortus
Dissimulata, sui: vexant Corybantes aënum
Et gaudent latuisse Iovem. Tum scindere nubes
Vix potuit, tantùm tonuit pueriliter antris
Idæis, tum Creta, tuis. Sed conscia *Partus*
Lux *Nostri*, genialis erit: nam fama triumphos
Iussit; & ara tepet quævis, fumantibus extis
Festo thure operata *Tibi*; dum spica Cilissa,
Cinnamus, & nardus durant. *Teq;* Amstela nympha,
Atq; Palatini Nicri, *Te* ripa sonabit:
Te, nemus & fontes, *Te Princeps* CARLE sonabunt,
Princeps CARLE. A cin non tantum personat Eccho.
Non tantum clamatus Hylas. Vagitibus orbem
Imple CARLE; tuis cunis gratabitur orbis.
Nec tu Saturnum metuas; nam conscius, ortus
Ipse *Pater* tanti, toto sua gaudia regno
Lætus donat, ovansq;. Atq; inde *Britannia Magna* est.
Ipse tuum pronus jam *Natum* agnosco; beasti
CARLE tuum regnum, *Patria Pater*, & *Gnatorum*.
Europæ Dominis major *Pater* ipse vocari

C Malles.

Malles; Magnus in hoc *Rex* tantum nomine gaudet:
Gaudet & hinc propriæ titulos præcedere famæ.
Quos meruit virtus, vult tantùm ex *Prole* triumphos.
Depositâ trabeâ *Natum* cupit *Ille* tueri;
Latius inde tuo, regnabis CAROLE, Sceptro
Perpetuâ in sobole: thalami jam pignore fultus
Dum gemino flores: fati securus, & iras
Iam tumuli spernas, dum CAROLUS alter, & idem,
CAROLIDES vivit. Felix rata vota tulisti
Anglia, jam major sese, juvenescere cœpit
Insula nostra. Deis *Regni* tot templa, tot aras
Impendisse juvat: superûm placavimus iras;
Et duraturi nectunt jam firma Sorores
Fila glomi, vincant *Pueri* quo *Cæsaris* anni
Iliacum, Pyliumq; senem; *Fratrisq;* perempti
Fletibus, heû, quantis jam deflent tristia fata.
Ipse illas vidi laniatas pectora, sparsis
Fusis, atque colis, rumpentes stamina: busto
Ceu tanto inferias animarum plebe, minorum
Sacrâssent, Parcæ, queritur nil terra *Britanna*;
Borbonides vivat, si quid pia numina possint:
Dii faciles servent *Hunc*, atque ignoscimus iræ
Præteritæ. Ostensam *Spem*, direptamq; priorem
Diis non invideo: modò non Rhamnusia votis
Se jungat nostris, iterato vulnere vindex.
Imperium æternum CAROLUS, sibi præstruit, alter,
Et solium: unde suum directo sidere regnum
Aspicit, unde suos *Fratri* largitur & annos.
Inquit. Vive meo, proprio *Tu* tempore *Frater*
Vive: petas cœlum serus, videasq; nepotes.
Cumque carere tui, poterunt libramine Sceptri
Angligenæ, venias.

Pestis enim exinde recruduit.

Salve

Salve *Borbonidûm* proles, gratatur ab astris
Ipse tibi *Frater*. Salvete ô lactea talis
Ubera quæ sugit *Princeps* mordente labello;
Ubera sceptigeris manibus vexata tenelli
Principis. ô quanto saliunt tua pectora voto,
CARLUS, dum teneris tepefecit pectora palmis?
Tutior *Ille* tuis, quam paruus Bacchus, in ulnis
Dum stetit Inoïs: nostro *Sackville* STUARTO
Præsidet illustris tua dum lectissima *Conjux*:
Angligenas inter, lectissima fœmina, matres.
Hancq; exploratam laudat *Regina* ministram.
Ut sugit, luditque? manum vel in oscula parvam
Porrigit, Imperii genio dictante. Dolore
Non vero pressus, *Galfridus* vapulet, inquit
Nutu; ac iratus mammæ lactare recusat,
Pusio ni pœnas det; postquam vapulat, *Ille*
It placidus, fessusq; dabit sua membra sopori.
Sic indignantes rediget; namq; ira pusillis
Prætentat, reges quondam domitura rebelles.
Dormit, & *Ille* sui nutricis carmine victus
Somniferisque modis *Lalli*, obliviscitur iræ.
Illum demulcent citharæ, sua *Cambrica* plectra,
Plectra sui *Domini* placidos imitantia mores.
Et nisi *Te* ad justas, bellum deduxerit iras;
Mars trabeam portet, miles ludatq; togatus.
Sic *Te* pæna levis placet; Sic ultio semper
Dormiat. At somnos capiat, nullusque susurrus
Obstrepat; & rauci cesset tinnitus aëni:
Tantum nutricis modulatio musica lalli,
Conciliet requiem: pellit dum myrtea virga
Galfridi muscas, tenues & ventilet auras;
Qualis arundineas ripas dum percutit Eurus.

 Nam-

Namque ſuos capiet deſeſſa BRITANNIA ſomnos
Hôc vigilante.
Nate DEA noſtrâ, quando ſpatiaberis? ulnas
Nutricis laſſans; ut quondam Romulus, Accam.
Det Deus ut videam PUERO decreſcere veſtes:
Omen erit Patrio quod tunc adoleſcet in oſtro.
Parve STUARTIADES, ALBA cùm luſeris AULA
Et cùm TE, procerum, diis proxima numina, proles,
Ridebit parvus BUCKINGHAMEIUS heros;
Ridebuntque tuæ ſpes MALTRAVERSE, (nepotum
Ipſe beaturus numeroſâ ſtirpe, parentem.)
CÆSAR & ipſe PUER, tenerâ comitante catervâ
Geſtit: ludenti REGINA fit omnia NATO.
Atque ulnis brevibus MATRIS circundare tentat
Crura, moraturus; ſimul in tua gaudia CÆSAR,
IPSE tuos greſſus INFANS amplexibus arctis
Tardabit. Ridens gaudet PATER ipſe morari.
Nobilibus pueris ſtipatus, arundine longâ
Ille equitat, curritq; inſtar Pallantis Acetes,
Magnatum ſoboles: noſtriq; impendia mundi
Ille legit Comites ſibi, partus SACKVILIANOS
Claros PEMBROCHII fætus, & ARUNDELIANOS.
Creſcit HOARDE tibi ſemper ſpes ampla nepotum,
Et creſcat: decet hoc magnum *Ducis* incrementum.
Semper HOARDÆA eſt cum diis luſura propago.
Tunc colluſores titulis decorabit: ut olim
Cyrus, & ipſe puer, fertur feciſſe: Duceſq;
Hos faciet, Comites illos: atq; annuet *Ipſe*
CAROLUS Auguſtus: placido ſuper omnia vultu
Ridens, præſagis hos indulgebit honores
Luſibus, & *Parvo* vult hoc licuiſſe STUARTO.
In patrios titulos hinc ſurrectura propago

Nobilis

Nobilis, & superate datur: cum CARLUS habenas,
Esseda cum CARLUS flectet *Brittanna*, parente
Jam seniore.
O quam *Te* cuperem *Princeps* cælarier ære
Thusco, Phydiaci magè digne toreumate cæli?
Te Polycletæâ sculptum mirarer ab arte,
Auro digne *Puer*, dum *Tu* Saturnia regna
Angligenis donas: *Princeps* meliore metallo,
Æreq; ab Isthmiacis, auro potiore, caminis
Efformande: Myron, quod fudit, dum sua vacca
Artifici formata manu, mugire coegit,
Græcia magna, tuos Tauros. Nam *Principis ora*
Vel patrii forment Genii, vel sit labor orbis.
At quales vultus, tibi plastes finxit Etruscus,
Ante rates, dum stas Dux *Ferdinande* Livorni
Tyrrheno pelago dans jura: ut Avunculus, auro
Fulgeat, (auratus sonipes spumantia mordet
Fræna, tuis munus proprium * LODOICE trophæis, * 13. Flor. jam visitur ex puro puto auro, inter Magni Ducis χειμήλια.
Quod designârat tanto, Florencia, Regi;
Thesauri pars magna sui est: vidi ipse Caballum
Atq; Equitem: Castor non tam bene flexit habenas.)
Effigiem talem Medicæo sidere, Major
Stella gerat, Nostri Arctoi Cynosura profundi:
Cognatoque tuo Medicæâ è stirpe, laborent
Artifices Thusci. *Regina* at mallet ab * *Illo* * Henr. 4.
Expressum *Puerum*, qui majestate tonanti
Subter labentem spectat de * Ponte Seinum. * Pont Neuf.
Sed si quis dignâ potis est *Te* reddere cerâ,
Seu Pictor, seu Sculptor erit; spirare colores
Ille suos potis est: valet aut animare Prometheū
Ipse tuam statuam. Nil tam admirabile rasit
Mentor; Apellææ cuperent *Te* scribere plumæ:

Ambiſſet *Titianus* opus; ſimul *Angelus* ipſe
Clarior inde foret. Non hunc laquearia tecti
Papæ, vel claræ Tarpeio in monte tabellæ,
Sic commendaſſent, ac ſi ſpiraſſet ab arte
CAROLIDES tantâ. Iam tandem *Olivare* tabellis
Parvis, *Mittinſe* effingas faciemq; comamq;
Atq; hinc dives eris. Tabula eſt acceptior orbi
Nulla, Potens Dacus, Cimber, flavuſq; Sicamber,
Et Rheni proceres, & qui ſpumare lupatis
Sarmaticis impellit equos, magniq; Suëvi,
Te picturatum cupiunt: atq; accola rivi
Quo flent gummiferæ merſum Phaëtonta ſorores.
Atq; tuâ formâ vel visâ pronus adorat
Gallus, Iberus, Afer, nec non tibi proxima Thule;
Cumque Caledoniis juga ninguida Pyrenæi.
Barbarus ipſe tuo diſcet manſueſcere ab ore
Accola Virginiæ. Namque eſt a *Patre* timendus.
Hos modò tu vultus imiteris pictor, ab ipſo
Paſcêris *Puero*: non tantus ab Iſide nummus,
Iſis, quâ pictâ Pharii prandere cataſtæ.
Parvulus *Ille* licet; populus Byzantia ſubter
Regna, Propontiacâ quà lota eſt Iſthmos ab undâ
Te metuent; & quot paganica numina adorant
Poſthabito noſtri divino *Numine Regni*.
At cùm jam tabulis capiunt tua lumina pictis:
Sit caſtigatus frontis cum ſanguine candor;
Sit vultus ſine nube tenor. Namque ore ſereno
Demulcet radios oculi: de *Patre* timendus,
Et de *Matre* ſimul. Procul aſpice frontis honores,
Atque ſerenati, quà ſtat via lactea, vultus,
Flammanteſque oculos, & majeſtate tremendos
Iam *Patriâ*. Tunc æternam tu pinge juventam

Aut

Aut ver perpetuum. prope Gallica *Lilia Matris*
Anglorum diffunde *Rosas*: & qui color inde
Aërius, color oris erit. Non Indica concha,
Non Tyriæ vestes, non Coæ texta Minervæ
Ornent hunc *Puerum*: nullis obnoxia gemmis
Forma mei CAROLI est: nudus sine veste placebit.
Ora deo similis, tenerâ à cervice pharetra
Pendeat, inque *Illo* tu dignoscêre Cupido.
Da mihi quæ merui, promissaq; basia solve;
Ipse tuum gnatum reperi Dea Cypria: nostri
Principis in vultu latuit puer aliger, oris
Dissimulatus honos: tandemq; effulsit Amoris
Ignis. Nec mirum nostrâ spirasse sub Arcto:
Cum constet Venerem nostro emersisse profundo.
Franca Venus nostro orta mari. Paphiæq; volucres
Hanc Dominam agnoscunt: ni sit prælatior *Illa*
Te Cythereia, latus cujus stipastis Amores
Matris Acidaliæ contempto numine. *Nostram*
Vel spretâ veteri mallet Paphos alma, *Dionen*.
Quam si vidisset pastor temerarius Idæ,
Non tam vexasset Phrygias Iunonia turres
Ira, *Dea* nostræ palmam vel sponte dedisset
Formæ, dum CAROLUS tali à cervice pependit.
Visne pharetrato, Veneris considere conchâ
Cum puero *Puer* alme? illius CAROLE bigâ
Vectus olorinâ, volucres agitato jugales.
Visne pipilantem turbam? tuus Armiger ille
Galfridus sturnos, iterataq; verba referre
Perdices dociles, portet. Saturnia Iuno
Gemmatam caudam pavonis donet. Ab oris
Cecropiis veniat tibi Daulias ales, & inde
Ismarium puerum revocet. Tua sidera, fratres

Tynda-

Tyndaridæ mittant, Eurotæ per vada olores.
Tuq; ſalutator regum nunc CAROLE Χαῖρε
CAROLE Χαῖρε ſones.
Seu te delectant catuli; tibi Publius Iſſam
Atq; Melitæas pupas, Iſlandia pulchram
Iſſam donabit, Boreæ ſub ſidere natam,
Candidior nivibus, noſtris erit iſta catella;
Candidior cygnis: ni ſit formoſior ille,
Ille *Cupido* tuus; qui latrans ſæpè requirit
Hoſtem, mille modis qui *Te* ridere coegit:
Flexilis, & doctus laxò dimittere morſu
Inſertos *Domini* digitos. Verſatile corpus,
Saltibus, atque gyris *Domino* placuiſſe laborat.
Ipſe leo parvus timido *Te* dente tenebit.
Non innata feræ tanta eſt clementia, *Noſtris*
Regibus at nôrunt ipſi inſervire leones.
Seu tu poma lubens mavis, tunc aurea mittet
Heſperius tibi mala Draco. Soliſq; cubile
Ad *Solis* cunas, mittet tener ille *Philippus*
Dona, tuas; quæ dant Tarteſſia rura, Canopi
Quæ Mauruſiaci fodit labor improbus: & quas
Concolor Indus opes lambit: dabit ille lapillos
Splendentes; oculiſq; tuis dabit æmula dona,
Telluremq; novam. Quid non tibi Iberica tellus
Cognatuſq; dabit talis? prælatus Eois
Nymphis, atq; ſuo *Princeps* prælatior orbe eſt:
Ante omnes *Princeps*: ſoluſq; illuſtrior *Ille*
Cui hæc dona daret. Sed quid miremur in auro,
Inde tuos lapides? Tibi *Cambrica* Nympha monile,
Cambrorum Princeps, Connobi à flumine portat.
Quale tuæ *Dominæ* Donum mi *Winne* dediſti:
Quod tuus ipſe ſuo dat gemmifer * *Aber* ab amne,

* Ex Aberconway fluvio, Margarita pretioſa, dono Reginæ data.

Aber Erythræâ fluvius preciosior undâ.
Teque Caledoniæ cupiunt ornare coronâ
Orcades; atque *Rosas* regnorum insignia Nymphæ
Plenisque in calathis argentea *Lilia* portant.
Aptat nectendas in tempora parva corollas (ullas,
Nympha loci Chloris, alma Chloris: nec Hamadryas
* Luci delicias negat; autumnalia pruna * S. Iacobi.
Sive cupit, seu vult uvas, tua cornua, Bacche
Bacche coronandis semper distente racemis.
Bacche tuas vites aluit *Puer* ille; bovesque
Duxit araturos. Iam pinguia culta videbis:
In custoditi rurisque armenta perrerant,
Nec metuunt, tenerâ dum dormit pastor in herbâ?
Fercula jam saltans condit pagana colonus;
Pelliti agricolæ, mea rustica corda, Napæis
Cantant impariles numeros sub tegmine fagi.
Atque saginatis celebrare Palilia porcis
Incipiunt. *Puer* ille suis hæc otia fecit.
Ille perennabit fasces, *Britonumque* curulem,
Anglia magna suis, per quem firmatur, in undis;
Ut vaga post Phœbi cunas requiescere Delos
Visa est. *Huncque* manent fasti, majorque corona.
Nam pacis firmabit opus. Pax reddita terris
Per CAROLUM populo regnisque imponere morem
Edidicit, Sceptri Genio hoc mirante *Britanni*.
De tali quid non speremus *Principe*, coelum
Cui natalitio præluxit lumine? Phœbus
Ipse timens radium lucis rivalis, Olympum
Deserit, & velo mavult se abscondere Lunæ. Ecclipsis præcessit natal.
Cum *Rosa* nostra suum tenerum caput, exerit imo
Calyce; cumque artus vigor integratus habebit:
Qui potis innumeros victricia signa, triumphos

Pandere. Tum nostras, in *Lilia*, caudice misto
Confluxisse *Rosas*, cernes: seu discolor olim
Nostri confluxit *Rosa* climatis, Vnio talis
*Septime. Per tedas * HENRICE tuas; non unio dispar
Per partus HENRETTA tuos. Peperisse MARIAM
Regnum posteritas clamet, *Britonesq;* reversum
Arthurum dicant læti; genioq; stupenda
Hæc *Merline* novo recinas. Tu Floscule *Bruti*
Arthurum superabis avum, dum militat aulæ
Curia tota tuæ: meritisq; obnoxia Virtus
Ipsa tuis; vel fama *tui* compescere motus
Externos poterit: semperq; eris ense quieto
Cinctus, justa tuos ni provocet ira furores.
Nulla tuæ nubes rugabit frontis honorem
Obducto aspectu. Vitæ libamina puræ
Intemerata feres, totus mirabitur orbis
Anglorum justum, CAROLO moderante, tribunal.
Quod Themis ante Iovem sanxit, revocabis; & ipse
Iura dabis magno, *Princeps*, cui nasceris, orbi.
Nam *Rex* non gignit natos sibi. Puberis ævi
Cùm fueris, documenta *Patris* felicia disces,
Et *Patrias* artes, per *Præsulis* aurea dicta,
Quæ *Londinensis* dictat sapientia *Læli*.
Ostendes tenerâ mores, geniumq; juventâ;
Præteritos referens proavos, magnumq; IACOBUM.
Sic erit æternum regnum hoc.
Sic tanti decuit te aperire volumina fati:
Cambrica te hæc cecinisse ferunt *Merline* per antra
In campis *Maridune* tuis.
Verùm hic maturis color expectandus ab annis.
Parue STVARTIADES, tua cum firmabitur ætas;
Cum jurata tibi barbam signaverit ipsa

Lanugo

Lanugo; (& jurata tibi est, nec flava Neronis
Gratior, Attalico quam olim sacraverat auro
Cinnamus intonso divo,) tunc nulla querela
Compositas culpas formabit. Turbida numquam
Vexabit salvos, per *Te*, discordia cives.
Rex eris ipse tui. Sacram, non ira, nec error
Artem Regnandi quatiet. Gaudebit inempto
Anglus jure: tuum fiscum privata replebunt
Nunquam damna. Deûm templa intemerata tenebis:
Religionis erit cultus tua maxima cura.
Hæc, *Patriis* facies instructus ab undiq; donis.
  Estne manu parcâ qui *Principis* acta retardat?
Et spes ingentes jam jam surgentis *Iüli*
Signatum *Infantis Rex Principis* ore metallum
In populum spargens, largè aurum missile donat.
Scilicet hæc nostri est magna indulgentia CARLI.
Ipsa MARIA suum tibi gratificata vigorem
Anglia dat, ditatq; tuos. Hinc disce fruendi
Temperiem & dandi; largæq; nomismata mensæ
Funde, coronato sua dona repende tributo.
Clausaq; divitias vestras non strangulet arca.
Pro tantis uteri donis, queîs Dia MARIA
Ditavit patres, manet hinc obnoxius hæres,
Atque auri forsan contemptor solvere discet.
  Sic tibi CAROLIDES gratantia verba sonabit
Mundus, *Te* fastis ævi melioris, & actis
Inscribet. Sic ipse SUI REX CAROLUS hæres,
Continuandus erit regnis, famæq;, nepotum
Traduce continuo. *Te* non signata juvabunt
Vel mille excubiis regalia limina: talem
Non jurata fides servat, populive coactus,
Verùm innatus amor. Nam quem victricia vota

Gratantis regni genuere; hic salvus ab ipsis
Cunis, HUNCq; fovet plusquam nutricia palmis
ANGLIA tota suis: PATRIAMq; fovebit amicis
Ulnis IPSE suam. Tota est huic ANGLIA MATER;
Nascitur in regnum quem regni *vota* rogarunt.
Vivere Dij tibi dent justos cum PATRE per annos,
Canior ipse tuam videat Mî CAROLE canam
Cesariem. In Sceptrum PATRIUM succede: superstes
Sic erit ILLE sui, Tu cum tua regna capessis
Grandævus. Deus hæc fieri rata vota supremus
Annuat: & lapides non juro, deos ve minores
Pro TE, sed veri divinum altare Tonantis.

Explicit.

IN AUSPICATISSIMUM PARTUM

MARIÆ PRINC.

VNdè novus clamor ? currunt per compita cives,
Atquè ſtruunt altas pyramidaſq; faces.
Dum Pœana canunt, vacuant carcheſia Bacchi.
Cui nova feſta parat turba jocoſa Deo ?
Cui ſaltat ridens ALBAM, CARA nympha, per AVLAM ?
Ornata eſt gemmâ ſplendidiore caput;
Explicuitquè comas; totos vibravit ocellos,
Atquè micant pleni mille Cupidinibus.
Aulica quæquè, ſuas portat jactantior ulnas,
Et conchis Tyriæ nympha ſuperbit aquæ.
Fallimur, an nova ſacra parant ? Vittata ſacerdos
Agnam ſacravit SOSPITA IVNO tibi.
Sic eſt; nam què iterùm peperit REGINA : |Secunis
Jam *natalitiis* quælibet ara vacat.
" JAM NOVA PROGENIES COELO DEDVCITVR ALTO.
Atquè habuit faciles ANGLIA noſtra deos.
Et jam BRVTIGENÆ revireſcit gloria CAR'LI,
Altera ſpes firmat dum diadema ſuum.
Eia age, Lude, recens ſubijt pallatia plauſus :
Non ullos fructus Dædala terra negat
En redeunt ſegetes, jam parturiente MARIA:
Præluſitquè utero vel Ceres ipſa ſuo.

‖ Annona magna ſuperioris anni.

|Ecce

Ecce tuæ proli reduces naſcuntur ariſtæ,
A tali DOMINA cœpit & eſſe ferax.
Clamat Iô, meſſes, meſſes! pellitus arator,
Arboreæq; tegunt aurea poma comæ.
Nulla fames; largas dat terra puerpera fruges:
Et natura ſuas grata relaxat opes.
Sic partu veſtita tuo eſt, ſic ſæcula PROLES
Inſtaurare poteſt, fœta MARIA, tua.
Magna Ceres; ſed nunc DOMINA, minor illa, MARIA.
Tuquè meis ſacris NOSTRA colêre CERES.
Ambarvale TIBI ſacrum do; ter TIBI porcâ
Fit; ter libatum Tu cape DIVA, merum.
Terra parens flores brevis ævi protulit: *Illa*
PROLE moraturâ ſceptra BRITANNA beat.
Junoni votum feci; Lucina MARIAE
Det partum: Voti ſum reus ipſe mei.
Magne Geni cape thura, tuis advolvimur aris,
Noſtri SPEM ſerves depoſitumquè poli.
Ter tibi fit libo, Cyathis fit terquè Falerni:
Spondet propitios victima cæſa deos.
Victima cæſa litat: CAROLVSq; litavimus inquit;
Eſt nobis facilem fibra loquuta Jovem.
Difficiles habuere deos vota improba: noſtræ
Pro TALI ultores non meruere preces.
Salve INFANS, nobis prece multâ,.thure petite
Multo: Conſervent omina prima fidem,
Et Tu ſoſpes eris; dabis & nova nomina faſtis
Soſpite *quâ* divis gratior orbis erit
Creſce INFANS, tituliſquè novis magis aucta refulge;
Soſpite *quâ* divis gratus & orbis erit.
Ipſe triumphati regnator CAROLVS orbis;
Imperijs parcat magne Boruſſe tuis.

Et

Et Rheni populis parcat Flavisquè Sicambris;
  Differat in gnatos ista trophæa suos.
Equè suis venis, jam tradux sanguine virtus,
  Innata est cunis GALLO-BRITANNA tuis.
Salve CLARA tuos jam firmatura BRITANNOS
  Auspicijs faustis nata MARIA meis,
Magna tuis fatis, majorquè parentibus istis,
  STVARTI è gremio BORBONIDVMq; lare.
Incrementum ingens regni, nunc utere votis
  Nostris, & canos canior *Ipse* tuos
REX GENITOR cernet: TIBI stamina longa sorores
  Ducant; atquè onerent pensa voluta colum.
Sic tibi NATALIS JVNO, tua sacra perennent:
  Fumet solenni quælibet ara croco,
Atquè tibi solùm fumet: discendat in ignes
  Atquè dapes festas, sic nemus omne, tuas.
SPEM nostram tantùm serves; tunc hæc tibi semper
  Lux, festis nostris adnumeranda venit.
Hæc lux agnorum cædis prænuncia; quærunt
  Balantum in fibris, dum nova lucra popæ;
Succinctiq; parant nova fercula: compita velant
  Ramis; unde TIBI dextera cantat avis.
Parva tuis cunis præluxit Bacchus; & uvis
  Plenus, vel populo vina meraca dabit.
Ipsa Ceres flavis frontem redimita corollis,
  Has urbes hornis frugibus alma beat.
Dumquè Ceres, PARTU tali, Bacchusq; superbit;
  Ornabit mensas copia larga meas.

Iunoni

IVNONI ET GENIO DIIS NATALIBVS ET AMICIS MEIS

LYRICVM.

RIdete tandem Gratiæ
Dij Deæquè singulæ
Quotquot venustioribus
INFANTIBVS favebitis.
NATALIS est Iô dies.
Eía funde puer merum;
Vinum prome reconditum;
Illud nobile CAROLO
Quod fudi REDVCI merum.
Festo quid faciam die?
Eía funde puer merum.
Genium Falerni poculis,
Iunonium numen mero
Placent poetæ singuli:
Sunt numina hæc NATALIA.
Servata centum clavibus
Deprome vina Massica
Et funde DIGBEIO puer.
Amat Camænas nobilis
DIGBEIVS; HOLLANDVM & meum

Citharâ

Citharâ politâ nobilem.
HOLLANDE, DIGBEIUM, meri
Septunce Lesbii, bibe:
Nam dat cados, Athamantidos
H elles ab urbibus, redux,
In hæc, bibendos, fercula.
Carchesia en sicco tibi,
Sex plena Lesbii tui
DIGBEIE, Regi CAROLO:
Quin & CAROLIDI dabo
Bessem: frequentius puer,
Puer frequentius, merum;
Totos deunces, & cados
Laticis coronati volo
Cyathis coronatis bibam.
NATALIS est Iô dies.
Calere nunc dabitur mero;
Et quando justius? tamen
Hâc lege vobis ebibo:
Vinum meretur versibus
Et barbiton pulsabitis.
Rogabo FARNABIUM meum
Adesse NATALI sacro:
Nam me ILLE primus intulit
Tripodum Ministris Deliis.
MusæMAERNIUM meum
Suumque rogent: Nymphulas
Namque ILLE strictis osculis
Clarias fovebit. Pectine
Meliore cantent PRINCIPEM:
Namque ILLIS vigor entheus
Laurusque Lemniseo Viret.